Phyt.
506

~~494~~

~~H. n. 494.~~

Phyt. ~~N. 94.~~
506

Digitized by Google

OBSERVATIONVM BOTANICARVM

SPECIMEN

AVCTORE

G. W. F. PANZERO

MED. DR.



NORIMBERGAE ET LIPSIAE

IN OFFICINA LIBRARIA AD. GOTTL. SCHNEIDERIANA

1781.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

VIRO

ILLVSTRI ET CELEBERRIMO

NICOLAO IOSEPHO NOB. DE JACQUIN

S. C. R. ET A. MAIESTATI IN RE METALLVRGICA ET MONETARIA A CONSILIIS CHEMIAE ET BOTANICES IN ANTIQVISSIMA ET CELEBERRIMA VNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORI ACAD. IMPER. PETROPOLIT. REG. VPSALIENS. PHYS. BASILEENSIS SOCIETAT. HELVET. PHYSICO MEDICAE LVSATIENS. ET AGRICVLTVRAE STYRIACAE SODALI RELIQ.

FAVTORI AC PATRONO SVO

PLVRIMVM COLENDO

HAS

BOTANICAE COGNITIONIS PRIMITIAS

DICAT

AVCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Quotiescunque in animum aurea iſta reuoco momenta, quae in TVO, VIR ILLVSTRIS, deſideratiſſimo rei herbariae connubio tranſigere licuit, toties, quantum TIBI debeam, recordari iuuat.

Quod ſi uerum eſt, omnem cuiuscunque diſciplinae cognitionem ſublimiorem uix absque ſubſidio uirorum eorum, qui ſummi in arte magiſtri ueniunt celebrandi, impetrari poſſe: felicem, neceſſe eſt, ille ſe profiteatur, cui licet Tanti uiri uti praeſtantia. Quem autem TE, rei herbariae peritiſſimum, fautorem liberaliſſimum, ſtudii promotorem praeſtantiſſimum ſim olim expertus, hae patiaris, quaeſo, teſtentur botanicae cognitionis primitiae, quas TVO CELEBERRIMO NOMINI inſcribere audeo, easque in teſſeram accipias gratitudinis haud fucatae; et cultus dum

uiuam nunquam intermorituri. Dignis gratibus perſoluendis me imparem quidem iudico, ardentiſſima uero uota ſemper nuncupabo pro TVA uniuerſae rei botanicae tam cara incolumitate.

Neſcio ſane, cui magis quam TIBI, poſt praeceptoris optimi *Illuſtris Schreberi*, Botanici ſummi, inſtitutiones, cuius manuductione in herbarum cognitione primum frui licuit, debeam. Me hominem peregrinum eximia, qua polles, humanitate excepiſti, hortum, cui praees, Caeſareum botanicum, nulli ſecundum, mihi aperuiſti, clauem dediſti, TIBI poſt *Cluſii*, *Burſeri*, *Krameri* conamina a Natura ipſa creditam Florae Auſtriacae ianuam pandiſti ad hortum fertiliſſimo ſolo luxuriantem, nomine FLORAE AVSTRIACAE inſignem: loca ſtirpium indicaſti natalia, primum abs

TE

TE uiſa, detecta, TIBIque ſoli cognita; feruorem ſuſtentaſti meum in legendis herbis, tempori admodum TIBI pretioſo haud perperciſti; ita ut me importune ex TE ſaepiſſime quaeritantem ſciſcitantemque erudires, ac nunquam, niſi rariſſimis ſtirpibus, quas propriis, ſub ſolis radiis feruentiſſimis, porrigebas manibus, locupletatum dimitteres: nec unquam indignabundum TE uidi, cum iuuenis TIBI Magiſtro de hac illaue ſtirpe mouebam dubia. Eademque humanitate atque comitate, qua ſemper ſoles, ut TEcum ſumma Alpium auſtriacarum iuga conſcenderem annuiſti, quae tranſiiſſe, TE comite, quantum uiuam, recordatio ſupererit dulciſſima. Quae illic per TE profeci, quae illic TVA ex inſtitutione uidi, quae illic TE Praeceptore didici, ſaepius tacite mecum repeto, dum alta haec uoce proclamare inter ciues nefas eſt.

Hic

Digitized by Google

Hic pedem figam, nec in enumerandis TVIS in me meritis, TVA modeſtia abutar diutius, licet plura de iis diſſerendi ampla mihi ſit copia. Sufficiant haec, quae me impulerunt, ut has pagellas perquam exiguas TIBI ſacrarem, atque monumentum pietatis et grati animi facerem.

Gaudeas, cum florentiſſima familia, incolumitate perpetua, omnique rerum exoptandarum genere, ut celeberrima, quam ornas, Muſarum ſedes, TE decore, ſplendore, et ornamento ſuo quam diutiſſime ſuperſtite poſſit laetari. Faueas porro

ILLVSTRIS TVI NOMINIS

Norimbergae
d. 1. Maii 1781.

obſeruantiſſimo
G. W. F. Panzero
Med. Dr.

Tana-

Digitized by Google

I.

Tanacetum africanum, foliis tenuiſſime diuiſis. C. Baub. pin. p. 133. Caulis filiformis, teres, glaberrimus, uiridis. Folia pinnata amplexicaulia: pinnis tenuiſſimis per rachin folii decurrentibus, ultimo impari ſaepius trifido. Rami dichotomi diuaricati. Pedunculi uniflori, inferne folioſi, ſuperne nudi, incraſſati. Flores terminales, lutei. Calyx monophyllus, conoideus, ſtriatus, dentatus, dentibus a decem ad quindecim. Corolla compoſita radiata: floſculi radiati foeminei numero incerti, calyce longiores, tridentati. Receptaculum nudum. Semina oblonga nuda. Pappus nullus.

II.

Alyſſoides fruticoſum leucoii folio viridi. Tournef. Inſt. R. H. p. 218. Radix ſimplex, horizontalis,

Digitized by Google

fibroſa pallida. Caulis florigerus pedalis, laeuis, ſubangulatus, undique foliis ueſtitus, adſcendens. Folia radicalia obouata in aliis lanceolata, piloſa, id eſt, pilo hinc et illinc raro, ſolitario obſita, omnino ſerrulata: caulina lanceolata, ſemiamplexicaulia acuminata, nuda, laeuia, trineruia, integerrima, margine non ſcabra: in aliis exemplis et uidi folia caulina radicalibus ſimillima, obouata cuneiformia, non lanceolata, neque acuminata, obtuſa omnia; folia radicalia in plurimis exemplis caulinis offendi anguſtiora. Caulis iam capſulis ſeminiferis onuſtus elatior eſt, et ſeſquipedalis. Calyx more generis tetraphyllus, foliolis oblongis, obtuſis conniuentibus, margine membranaceo diaphanis. Corolla cruciformis tetrapetala, petalis calyce longioribus luteis: limbo ouato per omnem ambitum crenulato, patente. Filamenta calyce longiora ſubulata, duobus breuioribus inferne dente minuto notatis, reliqua quatuor denticulatis duobus longiora erant. Antherae incuruae incumbentes. Stylus longitudine ſtaminum. Stigma nudo oculo cernitur obtuſum; armato uero didymum. Siliculae pedunculatae, ex rotundo ouatae, non emarginatae, inflatae, biloculares: ſtylo in iunioribus perſiſtente, in aliis deciduo, Semina a ſex ad decem orbiculata, ſiliculae apici affixa.

III.

III.

CRAMBE (*Tataria*) floribus faſtigiatis.

Tataria ungarica. *Cluſ. hiſt. p.* 191.
Panaci heracleo ſimilis ungarica. *C. Baub. pin. p.* 157.
Tataria Vngarica edulis, Panacis Heraclei-folio, ſemine Libanotidis Cachryophorae. *I. Baub. hiſt. T. III. part.* 2. *lib. XXVII. p.* 163.
Cachrys Vngarica, Panacis folio. *Tournef. Inſt. R. H. p.* 325.
Patria eſt Hungaria transdanubiana. Perennis.

Radix alte in terram deſcendens craſſitie bipedali et ultra, carnoſa, ramoſa, albida: radiculae iuniores brachialis ſunt craſſitudinis, longiſſimae. Caulis tripedalis et ultra in horto, inferne teres, ſubangulatus pilis candidis longis hirtis, hiſpidus, unciam craſſus: ſuperne ſulcatus, ſulcis eleuatis duris lignoſis, minus hirtus, laeuis, modo hinc et illinc pilo ſolitario obſitus. Folia radicalia, petiolata, duplicate pinnatifida, pinnis ramoſis, laciniatis, eroſis per coſtam decurrentibus, ſinuatis; laciniis inaequaliter ſerratis, ſerraturis dentatis, obtuſis cum acumine: pinnae inferiores, coſtae carnoſae ſulcatae ſubtus hiſpidae, oppoſite affixae: pinnae mediae alternatim coſtae adnaſcuntur, extremae iterum oppo-

 ſitae;

ſitae; dum pinnae foliorum per uniuerſam coſtae longitudinem decurrunt, coſta alata ſiſtitur. Folia caulina inferiora radicalibus ſimillima, excepto, quod tenuibus diuiſa ſunt pinnarum laciniis aliquot integris, minusque hirſuta, et pilis raris non adeo rigidis: Folia caulina ſuperiora ex axillis ramorum et pedunculorum proueniunt, lanceolata, integerrima longa pilorum pube ueſtita, per caulem decurrunt, ut pene alatus ſit. Flores ex caulium ſummitatibus faſtigiatim oriuntur: inſident ramis brachiatis, ſingulis pediculis affixi, panniculati: rami ramoſi alternatim inferne naſcuntur, nudi, ſtriati, ſingulo ramulo axillari exeunte, foliolo notato. Pedunculi uniflori, laeues nudique ſunt; plerumque alterni, nonnunquam in ſummis duntaxat oppoſiti. Calycis foliola ſunt quatuor, ouata concaua, obtuſa, patentia membranacea: Corollae petala quatuor candida, aequalia obouata, integerrima, unguibus erectis, longitudine calycis. Stamina ſex tetradynama quaſi furcata. Apex exterior furcae longius proeminet, huicque anthera transuerſim innititur; apex uero interior e latere filamenti prodit, exteriori breuior eſt, in dentium modum *Alyſſorum* acuminatus; ſic ſtamina huius ſtirpis, ſimilitudine hacce ad ſtaminum in *Myagro ſaxatili* formationem accedunt: utrinque more generis glandula puſilla nectarifera petalis et filamentis longioribus intermedia adeſt. Germini obouato

Digitized by Google

ouato pedicellato inſiſtit ſtigma foecundationis momentis madidum, obtuſum. Silicula ſphaerica dura includit ſemen unicum.

Nolui diutius huius noſtris in terris rariſſimae ſtirpis deſcriptionem ſupprimere, quam in uiua ann. 1778 in horto Vindobonenſi laete florente adumbrare, fortuna contigit. *Cachrys ſicula foliis Paſtinacae latifol. ſemine ſulcato et hirſuto Moriſ. hiſt. Pl. T. II. p.* 267. ad noſtram non pertinet, licet CLUSIUM alleget, et noſtram cum ſua plantam peſſime confundat. CLUSIUS omnino primus fuit, qui huius ſtirpis meminerit: omnes deinde poſt eum botanici uerbotenus illum exſcripſerunt, nihilque prorſus habent, quod mihi in tam difficili ſtirpe lucem affundere potuiſſet.

IV.

Ciſtus annuus Cluſ. hiſt. p. 76. Caulis erectus, teres, pubeſcens, non ramoſus, ut uult Millerus, uiridis, annuus. Folia lanceolata ſerrulata, utrinque pubeſcentia, alterna, ſtipulae utrinque binae, eiusdem figurae. Flores ſolitarii, pedunculati, pedunculis craſſiuſculis teretibus hirſutis. Calyx hexaphyllus, foliolis ſcabris, lineatis, lanceolato-acutis; petala tria, filamenta duodecim, capſula trigona calyce longior.

Digitized by Google

V.

Ferula Riuin. pent. irreg. Tab. IX. diu in horto academico Altdorſino, multis ſuperbiente rarioribus ſtirpibus, florere recuſauit. Tandem anno 1779 ceſſit deſideriis meis. Nactus ramum Ferulae huius florentis, et nullam quum animaduerterem ab auctoribus datam eſſe deſcriptionem ſuccinctam, mox iſtam, quam nunc exhibeo, exaraui.

Caulis attingebat altitudinem florens quinque pedum, totus rore glauco obductus, laeuis, teres, multiſtriatus, pollicem inferne craſſus, ſuperne relatiue tenuior. Folia ſupradecompoſita: foliolis partialibus plerumque quinquefidis, trifidis, cum impare ſaepius appendiculato, minime lanceolatis, linearibus potius, integris omnibus, neruo medio dein in mucronem abeunte; glauciora ſubtus, nuda, ſtricta, laeuia. Vmbellae terminales et laterales pedunculis propriis teretibus glaucis, ſtriatis, uagina excauata dein fiſſa donatis, inſident; ueſtiunt alternatim caulem, exceptis primariis pedunculis lateralibus ſummis oppoſitis: pedicelli partiales filiformes aeque glauci neque adeo teretes. Vmbella uniuerſalis hemiſphaerica radiis plerumque a decem ad triginta. Inuolucrum uniuerſale nullum, nec partiale ullum uidi; niſi uaginulam membranaceam exiguam admodum pro inuolucro in umbella uniuerſali,

Digitized by Google

ſali, eamque diminutiorem in umbella partiali aſſumere mauis; neque perianthium proprium in congeneribus alioquin uix notabile in noſtra ſtirpe detexi. Singularis nota eſt, quod neque inuolucrum uniuerſale neque partiale in noſtra ſit obuium; hac nota ſe diſtinguit a *Libanotide ferulae folio Baub. pin.* 158 et *Ferulagine latiore folio eiusd. p.* 148, in quibus inuolucra et inuolucella polyphylla, foliolis acuminatis reflexis perſiſtentibus ſaepius uidi et obſeruaui. Corolla pentapetala. Petala cordata ouata ſuperne inflexa, medio plicata, lutea, fere aequalia. Filamenta quinque petalis longiora; antheris cernuis. Germen depreſſum dimidiatum. Styli duo longitudine aequales. Stigmata nulla. Fructus ouatus duo ſemina emittit oblonga dorſo triſtriato. Floſculi omnes praecipue in umbellis primariis fertiles. Semina matureſcunt, num uero noſtris in oris ad iſtum maturitatis gradum perueniant, ut terrae condita germinent, dicere non audeo: inter mille ſemina *Libanotidis ferulae folio*, ne unicum quidem plantulam emiſit.

VI.

Rapiſtrum montanum, irionis folio, macroleptoceratum. Columm. ecpbr. 1. *p.* 266. *t.* 268. Perilluſtr. LINNAEUS *in Sp. Pl. p.* 921. cum Eryſimo hirſuto ſiliqua erucae. *Loeſel. Fl. Pruſſ.* 69. *t.* 14. f.

 cum

Digitized by Google

cum ſuo ſiſymbrio foliis runcinatis acutis hirtis, caule retrorſum hiſpido l. c. coniunxit. Binas has multum inter ſe diuerſas ſtirpes Cl. JACQUIN *in Fl. Auſtr.* omni iure iterum ſeparauit, et Rapiſtrum etc. *Columm. Tab. CCCXXIII.* ſub nomine *Siſymbrii Columnae;* Eryſimum *Loeſelii* uero *Tab. CCCXXIV.* ſub nomine *Siſymbrii Loeſelii* eximie depinxit, et deſcriptione illuſtrauit. Operae eſſe pretium mihi videtur, hanc obſeruationem hic repetere, inprimis quum animaduerterim neotericos eam negligere; forſan ob praeſtantiſſimi operis raritatem.

VII.

Vniuerſam ſynonymiam a Viro Celeberrimo *Siſymbrio Loeſelii* adſcriptam, abſolutiſſimam non eſſe, quibusdam inducor ſuſpicari rationibus. Inquirendum eſſe puto, num aut *Columnae* aut *Loeſelii* ſtirpem ſibi ſumſerit deſcribendam Vir Cl. Inquirendum eſſe omnino autumo, licet non omni eorum deſtituatur probabilitate ſententia, qui uolunt eſſe Eryſimum hirſutum *Loeſelii:* ipſe crederem, niſi differentia ſpecifica ex aſſe etiam in Rapiſtrum quadraret *Columnae.* In *Rapiſtro Columnae* et *Eryſimo Loeſelii* ut in aliis Siſymbriis caules retrorſum hiſpidos, folia runcinata, hirta, acuta obſeruo. Huc accedit obſcuritas ſynonymorum: de quibus, quid habeo, exponam.

I. Si-

I. *Sinapi eryſimo tragi cognatum ſiue ſimile. I. Bauh. hiſt.* 2. *p.* 857.

Deſcriptio *I. Bauh. l. c.* bene quadrat in Siſymbrium *Loeſ. Iacq. l. c.*, aſt eo minus figura adpoſita: refert enim figura BAUH. aliam, ut puto, ſtirpem. — I. Bauhinum ipſum aſſerti ſui non fuiſſe certiſſimum, dubia probant de hac ſtirpe ab ipſo propoſita. Inter uarias enim quaeſtiones et eam habet: num *Sinapi ſylueſtre burſae paſtoris folio. Lob. obſ. p.* 109. *Aduerſ.* 68. congruat cum ſuo? Equidem reſponderem: minime. Eſt enim Sinapi etc. Lobel. *Eruca tenuifolia perennis flore luteo. I. Bauh. hiſt. T.* 2. *p.* 861, quam Linnaeus cum *Siſymbr. tenuifol.* non bene coniungit. Spectant ad Erucam etc. Bauh. *Sinapi tertium Matth. Comm. in Dioſc. p.* 311, *et Dodon. pempt.* 5. *l. IV. p.* 707. *Lugdun.* 646. Tournefortium I. R. H. p. 227. ipſum Sinapi ſylueſtre Dod. l. c. cum Sinapi erucae folio C. B. pin. 99, quod iterum a Linnaeo cum *Siſymbr. tenuifolio* coniungitur, immo cum noſtro *Sinapi Eryſimo Tragi cognato. ſ. ſimile I. B. l. c.* combinare uideo: qua in re omnium aſſenſum uix mereri TOURNEFORT. auguror. Interim certo certius eſt, ſtirpes omnes hoc loco enarratas, affinitate quadam inter ſe eſſe coniunctas, minime tamen deſcriptioni I. Bauh. ſub Eryſimo tragi etc. etc. enumeratae, reſpondere.

II. *Eryſimum anguſtifol. maius, C. Baub. pin.* 101.

Vix ullus credet ad *Eryſim. Loeſelii* iſtud nomen pertinere, quum C. B. ſuam ſtirpem unam eandemque eſſe cum *Rapiſtro Irionis folio Columm.* aſſerere non dubitat.

Sic *Eryſimum foliis pinnatis: extima pinna triangula, petiolis longis birſutis.* Hall. Goetting. 248. quoque conuenit cum figura Rapiſtr. Columm. et ipſum Cel. Linnaeum in Amoen. Acad. 4. p. 279. plantam Columm. ſubintellexiſſe ſuſpicor.

Nomina reliqua neotericorum ſtudio huc adpoſita parum curo; quicquid tamen eorum ex lectione didici, ſummam confuſionem cum iis binis diuerſis ſtirpibus oſtendit; ut taceam ea, inprimis *ludibria Crantziana.*

VIII.

Aſterem calycibus oblongis laxis, foliis lineari lanceolatis integerrimis trineruiis: infra ſcrobiculis excauatis. Gmel. ſib. 2. *p.* 189. *f.* 1. uariare cum et ſine radio perperam dicunt. Aſt immanem hicce offendet differentiam, qui ſtirpem hanc, radiis orbam, cum icone Gmel. conferre uoluerit, utpote qui l. c. flores radiatos pinxit.

IX. *Ara-*

Digitized by Google

IX.

Arabis foliis caulinis lanceolatis dentatis glabris. Linn. Sp. Pl. p. 929. Quum in horto ſicco per plures annos Arabim hanc Linnaeanam aſſeruo, quam non eſſe, nulla ſupereſt haeſitandi ratio, in medium profero, quae obſeruare in ea licuit. Stirps eſt herbacea, et, licet non uiuam aluerim, annuam pronuncio: ſtatura, habitus, et textura hoc ſuadent. Caulis pedalis, anguloſus, ramoſus, inferne hirtus, ſuperne laeuigiatus, foliis lanceolato - cuneiformibus dentato - ſinuatis denti leonis ſimillimis ueſtitus, ſinubus aut dentibus utrinque quinque ad octo, margine ſcabris, in petiolum longum caulem uaginantem decurrentibus, glabris plerumque, aliis tandem ſcabriuſculis neruoſis, neruo per folii cuiuslibet longitudinem excurrente. Racemus terminalis nudus omnino: racemi axillares pauci, hirſuti. Calyx more generis deciduus. Corolla pallide lutea. Siliquae declinatae, ſtigmate bifido, adhuc in maturis reliquo, glabrae, ſtrictae, nunquam arcuatae aut falcatae. Semina glabra plura diſſepimento adhaerentia, ruffa, nunquam ala membranacea cincta. — Merito dubitauit Perill. a Linne de *Synonymo Claytoniano:* ut eo melius differentia inter meam et Claytonianam pateſcat, deſcriptionem ſtirpis ex *Gronou. Fl. Virg. I. p.* 77. ſubiungam.

Anony-

Digitized by Google

Anonymos foliis in terrae ſuperficiem ſtratis longis anguſtis, ad modum Cardui leuiter inciſis, nonnihil rigidis, ſubtus purpureis, ſuperne mollibus uiridibus concauis acuminatis: ſiliqua longa paululum falcata tenui compreſſa lucida, ſeminibus tenuiſſimis ala membranacea Leucoii inſtar cinctis, flore albicante paruo pendulo inodoro. Et exprimat icon *Plukenet. almageſt.* 130. t. 86. f. 8. meam ſtirpem, uix tamen in ea folia bellidis maioris animaduerto: aliam prorſus cum hacce nomenclatura combino notionem, minus in iſtam cadentem ſtirpem. Magis arridet forma foliorum *Dentis leonis* auctorum, praeſens in noſtra ſtirpe; adeo ut ſi excipias hirſutiem et duritiem in foliis Leontodon. hiſpid. manifeſtam, pro hacce noſtra habeas.

X.

Solidago corymbis terminalibus, foliis lineari-lanceolatis integerrimis trineruiis Linn. Sp. Pl. edit. Reich. T. III. p. 816, an differat a *Chryſocoma herbacea foliis linearibus lanceolatis glabris, floribus corymboſis* uix auſus ſum contendere. Contuli centies uaria exempla ſtirpis utriusque ex uariis hortis europaeis delata, nec unquam diſcrimen genuinum me reperiſſe profiteor. Quadrat utraque ſpecies in deſcriptiones Linn. nec differre etiam deſcriptiones cuiuis examinanti patebit. Ergo unica planta bis poſita?

XI. Stir-

Digitized by Google

XI.

Stirpem e ſyngeneſiſtis diu ſub nomine Eupatorii trifoliati a quodam transmiſſam in horto ſicco aſſeruaueram et habui, dum minus in eius diſcrimen ſollicitus fueram rimando, quia habitum trifoliatum ſimplicem referebat planta. Accepto poſthaec alio *Eupatorio*, iterum cum nomenclatura trifoliati accuratius tunc bina contuli ſpecimina, et mox animaduerti diuerſam illorum ſtructuram. Alterum condidi ut genuinum *Eupatorium trifoliatum* deſcriptioni LINNAEANAE ex aſſe reſpondens. Alterum interim habeo pro Eup. coeleſtino, licet non audeam certi quid de illo determinare. Deſcriptionem exhibeo. Caulis altus, teres ſubangulatus, inferne maculis adſperſus, ſuperne rufus, in ſummitate, ex qua pedunculi egrediuntur, purpureus ſcaber. Folia uerticillata ſingulis geniculis caulis terna, nuda, uiridia, lanceolata, acuminata inaequaliter ſerrata, in petiolum longum decurrentia. Corymbi terminales, panniculati, floribus omnibus pedicellatis coeleſtinis, pedicellis rufeſcentibus: calycum ſquamae coloratae; floſculi quindecim, ſtylis floſculo longioribus.

XII.

Centaurea calycibus ſetaceo-ſpinoſis, foliis decurrentibus ſinuatis ſpinoſis ſubtus tomentoſis. Linn. Sp. Pl. 917.

Caulis

Caulis cubitalis anguloſus, fere tetragonus, lana arachnoidea undique ueſtitus, ramoſus: ramis pedunculiferis: pedunculis uni bi- et trifloris axillaribus, teretibus lanatis, floribus etiam aliquot ſeſſilibus. Folia runcinata, ſinuata per caulem decurrentia. Segmentis triangularibus, extremo haſtato, ſubtus uillo candidiſſimo obducta, neruoſa, neruis omnibus in ſpinas ualidas pungentes abeuntibus: ſupra uiridia relatiue nuda, tres uncias longa, unciam unam lata. Calyx ouatus, imbricatus, arachnoideus, ſquamis excauatis ſetaceo-ſpinoſis, ſpinis pungentibus flauis, utroque latere membrana foliacea cinctis, uenula ſ. lineola atra per carinam ſpinarum praecipue ſuperiorum exarata. Corollulae radiatae infundibuliformes monopetalae, neutrae, hinc ſteriles, tubo laxo longo, limbo plano quinquefido purpureo, laciniis quinque aequalibus, linearibus erectis acutis: corollulae diſci femineae, monopetalae, quinquefidae, tubo breui; ſtylus filiformis bifidus: corollulae diſci hermaphroditae, petalis cylindro ſtaminum coalitorum aequalibus, albis, minoribus: ſtylus longitudine ſtaminum, ſtigma obtuſum. Germen uix conſpicuum: ſemina ſolitaria pene tetragona, lateribus utrinque conuexis: pappus plumoſus: receptaculum ſetis abundat.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

Gorteriae foliis lanceolatis integris dentato-ſpinoſis ſubtus tomentoſis, caule fruticoſo. Sp. Pl. 1284. quae nunc ſub genere *Atractylid. Mant.* 477. militat, Cl. Linnaeus folia oppoſita aſſignat, quae tamen neque in ſpeciminibus meis, neque in *icone Plukenet* obſeruare potui. Quot etiam contuli exempla, tot habere folia omnino mihi udebantur alternatim poſita: ſi excipis paria quaedam inferiora, quae, ut ex figura *Plukenet.* apparet, oppoſita ſunt, at et illa uariare uidi: caetera conueniunt.

XIV.

Delphinium nectariis monophyllis, corollis hexapetalis, capſulis ternis, foliis multipartitis. Linn. Sp. Pl. 613. omnino ſtirpem eſſe ambiguam inde euincere conor, quod, dum floruit, mihi exempla diuerſimode colorata exhibuerit, mox pulcherrime caerulea, mox uerſicoloria, ſiue incarnata maculis et ſtriis coeleſtinis lineata: accedit, quod in iis ipſis differentiam, quam ad hanc ſpeciem ab aliis diſtinguendam Linnaeus propoſuit, inconſtantem et perquam ambiguam deprehenderim. Capſulas quidem ternas uidi, ſed in ipſo caule et ſolitarias, binas, quaternas immo quinas: aliae plantae ex uno eodemque ſemine natae capſulas binas habebant, ternis etiam intermixtas. Nunquam cauliculos uideram, ternis

Digitized by Google

nis omnibus capſulis. Hinc hybridae indolis forſan erat, necdum digna, ut pro peculiari ſpecie haberetur.

XV.

Erigeronti foliis lanceolato-linearibus retuſis, floribus corymboſis Linn. Sp. Pl. ed. nou. 783. haec addo: Caules pedales, anguloſi, uillis ſtrictis ſcabri. Folia faſciculata, faſciculis foliorum alternis remotis, foliis linearibus ſcabris apice triquetris cum acumine retuſis. Corymbi terminales ramoſi. Flores cylindrici, calycibus aequalibus margine ſcarioſis, floſculcis omnibus floſculoſis, nudis, ſingulis bractea interſtinctis.

XVI.

Solanum caule fruticoſo ſpinoſo, foliis ellipticis Mant. p. 46. Deſcriptioni Linnaeanae quae ſequuntur addo. Frutex in olla ſeſquipedalis, ramis nodoſis, angulatis, fere tetragonis. Foliis plurimis confertis, ellipticis nudis, retuſis, margine ſcabris uix pubeſcente, iunioribus uenis manifeſtioribus, aliis obliteratis. Pedunculi uniflori, filiformes folioſi, laterales. Corolla rotata alba emarginata, limbo quinquefido cum acumine. Bacca haemiſphaerica calyce et ſtylo perſiſtente.

XVII.

Heſperis caule erecto ramoſo, foliis cordatis amplexicaulibus ſerratis uilloſis. Linn. Sp. Pl. ed. nou. 270. Caulis inferne hirtus, ſuperne nudus glaber. Calyces hirſuti. Corollae limbus uiolaceus, ungues albeſcentes. Siliquae glaberrimae, nunquam hirſutae, ſtrictae, compreſſae, lineares. Folia radicalia lanceolata ſeſſilia, aequaliter dentata, hirta. Caulina pauca, amplexicaulia cordata, dentata. *Non eſt Heſperis: genuina Arab. ſpecies.*

XVIII.

Aſterem atticum luteum montanum uilloſum magno flore. Baub. pin. p. 267. neque Vindobonae habitare, neque per uniuerſam Auſtriam naſci, euictum dedit auſtriacarum ſtirpium inueſtigator oculatiſſimus *Illuſtr. Jacquin*, nulli ſecundus. Seduxit Linnaeum unicus *Ioh. Bauhin*, qui in *Hiſt. pl. T. II. lib. XXV. p.* 1046, cum deſcriberet ſtirpem noſtram ſub nomine *Aſteris anguſtifolii lutei*, peſſime *Aſterem anguſtifolium quartum auſtriacum. Cluſ. hiſt.* 15 cum ſuo confundit, quaſi conueniret Aſter Cluſianus cum Bauhiniano. Quum itaque planta Cluſiana male quidem picta, non alia quaeuis eſt, quam Aſter luteus, linariae rigido glabro folio. Bauhin. pin. 267 ſ. Inula foliis ſeſſilibus, linearibus, acuminatis, neruoſis, glabris, ſparſis, caule ſubunifloro Sp. Pl. p. 830. quam

 copio-

Digitized by Google

copioſiſſime in Auſtria et quidem in iis praecipue prouenientem locis uidi et legi a Cluſio indicatis, et quum Ioh. Bauhinus l. c. deſcriptionem et locorum indicationem natalitiorum ex Cluſio ad ſuum Aſterem anguſtifolium luteum transtulerit, non potuit ergo non Linnaeus, uerbis Bauhini nimium confidens, errorem ex eius hiſtoria transſcribere. Vt uerum fatear, et differentiae a Cl. Linnaeo datae, mihi uix ſufficiebant, prorſus adaptandae ſpeciei alii mihi dudum iam in Auſtria lectae. Folia lanceolata, hirſuta, integerrima uideo in Oculo Chriſti, caules etiam unifloros, calycesque itidem breuiter imbricatos, et totam plantam aeque pube niuea uilloſiſſimam. Conſtantiores notae ſequentes ni fallor erunt, ex numeroſioribus aliunde acceptis ſpeciminibus collectae: Caules perpetuo uniflori non ramoſi, calycum ſquamae latiores lanceolatae patentiuſculae. Floſculi radiati anguſtiores. Folia caulina lineari-lanceolata elliptica? anguſtiora radicalibus petiolatis. Cum omnibus ſpeciminibus exemplum quoque conueniebat, quo me Cl. *de la Chenal, Botanicus Baſilienſis acutiſſimus*, plantarum gazophylacii Bauhiniani poſſeſſor digniſſimus, ex dicto theſauro beauit, cui pro hacce et centenis aliis rariſſimis ſtirpibus publice gratias agam, pietas iubet.

XIX.

XIX.

Hieracii foliis ouatis ſubdentatis, ſcapo nudo racemoſo floribus ſuperioribus primoribus. Linn. Fl. Suec. nr. 700 in ſyluis noſtris montanis inſignem quondam legeram uarietatem: quam ob habitum mirum paucis deſcribam. Radix omnino praemorſa. Folia radicalia quatuor, quaterna nec umquam plura, oblonga integra obtuſa cum acumine, glabra nec ſcabra, nec pilo etiam ſolitario munita, uiridia, inferne obiter ſerrulata, ſuperne integerrima. Caulis pedalis nec altior, uſque ad florum exortum glaberrimus ſtriatus, tandem caneſcens, ſcaber. Flores ſuperiores omnino prius quam inferiores florent. Calyces laeuiſſimi. Flores iidem. Pappus calyce uix longior. Caetera conueniunt.

XX.

Apii petraei ſiue montani albi. I. Bauh. hiſt. T. III. C. XXVII. p. 105. multa legeram ſpecimina in adſcenſu ad ſumma alpium auſtriacarum iuga, montibus ſubalpinis apricis, et inter ea, uaria ſeminibus maturis foeta exempla. Redux domum decerpſi ex illis, quae maxime matura uidebantur, in terram recondidi, et animaduerti mox cum gaudio, ne ullum quidem periiſſe ſeminulum, ſed cuncta radices egiſſe. Hyemis noſtratis frigora fortiter ſubibant, et proximo uere unica plantula, reliquis iunioribus

 cen-

centenis uegetis, laete florebat. Diligenter contuli cum florente extra patrium ſolum nata ea, quae cicurantia loco legeram natali; et diuerſiſſimum Apium petraeum ſatum, a loco lectis natali deprehendebam, adeo, ut, niſi propriis manibus ſemen humo ſatis pingui mandaſſem, peregrinam umbelliferam putaſſem creuiſſe. Operae ergo pretium eſſe autumo, ſi breuiter diſcrimina, quae plantae ſatae intercedunt cum cicurante breuiter indicem. Non deſcribam ſtirpem dudum a botanicis cognitam, operam duntaxat daturus in rimandis, ut iam dixi, diſcriminibus. Radix eiusdem texturae fuit, pariterque capillitio coronata, neque adeo craſſa atque longa ut in fera, magis euaſerat fibroſa. Caulis per dimidium feram ſuperabat, ita ut, quum pedem neque ultra legeram longum in ſolo natali, duo attingeret manſueta. Colorem dilute uiridem induebat in horto tota ſtirps cum foliis ſuis, quum luteſcentem et glauceſcentem prae ſe ferebat fera. Nudus fuerat graciliorque in ſata, nec ullis ramis aut pedunculis umbelliferis ueſtitus, praeterquam binis pone exortum umbellae primariae oppoſitis: nec ulla circumdabant eum folia, praeterquam bina depauperata pedunculos umbelliferos oppoſitos utroque latere uaginantia, et unicum ſolitarium longe pedunculatum magis inferne caulem amplectens; angulos acutos, ſulcosque ſuos profundos amiſerat manſueta; eorum loco ſtriae

ad-

adſunt uix excauatae; nec pluribus quam duobus duntaxat geniculis fuerat interceptus, quum quinque ad ſex in fera erant conſpicua. Polymorpha foliorum figura ex *obſeru. Hall. opuſ. bot. p.* 252. in cicurante obuia, omnino in manſueta deerat. Folia plerumque omnia radicalia, copioſa, aequalia fuerant, longiſſime petiolata, utraque pagina uiridia, nec unquam glauca, pallidiora duntaxat ſubtus incifa et partita ut in fera: omnes pilos depoſuerant, licet et in fera perraros eos obſeruaueris, nuda, laeuia, fere ſplendentia: maiora licet latiora, longiora. Vmbellae uniuerſales et ſua inuolucra polyphylla ſetacea tenebant, ut et partiales inuolucella: radii ampliores copioſiores, pedunculis debilibus longioribus paululum hirtis inſidebant: corollarum et genitalium figura et magnitudo eadem ac in fera fuit, candidiora tamen uidi. Seminum rudimenta erant hirſuta, ſed abortiebant cuncta. Caeterum uiſu, habituque externo, manſueta feroci fuit macilentior atque delicatior. De nominibus auctorum pauca hic monenda ſunt, quum de iis pereximie iam HALLERUS l. c. egerit. *Libanotidem Riuin. pent. irreg. Tab.* 37. ad noſtram referrem, dum magis cum noſtra conuenit, quam cum alia quacunque *Libanotide;* licet LINNAEUS cum *Athamantha foliis pinnatis pinnatifidis: radicalibus decuſſatis. Gmel. fl. Sib. I. p.* 186. *nr.* 3. *t.* 40. *f.* 1. 2. combinare tentet.

 XXI.

XXI.

Miratus ſum Perill. LINNAEO placuiſſe in nouo ſyſtem. uegetab. edit. cum *Cytiſo* ſuo *floribus umbellatis terminalibus*, *rarius erectis*, *foliolis ouatis p.* 555. figuram *Jacqu. fl. auſtr. t.* 33 traditam coniungere, quae ſtirpem longe diuerſam denotat; et ueram iconem *Jacqu. fl. auſtr. Tab.* 20, quae eximie Cytiſum Linn. repraeſentat, negligere. Credideram antehac errorem hunc ex uitio calami aut typographi fuiſſe ortum. Quum uero nuperos experior, in primis amiciſſimum REICHHARDUM, in nouiſſima ſua ſpec. plantarum nimium credere, non collatis aut uiſis ipſis ſtirpibus, LINNAEO, non inconſultum actum fore autumo, ſi botanicos moneam, ut herbarum ſtudioſius inhaereant diagnoſi, antequam Synonyma ex botanicorum operibus mutuentur, et deferant erronea ſtirpibus. *Cytiſus capitatus Jacqu. Fl. Auſtr. t.* 33, parum Linnaeo cognita eſſe videtur ſtirps, quippe nullus Cytiſorum ſuorum cum *Jacquiniano* comparari poteſt. Non animus eſt binas has ſtirpes deſcribere, quum ſolida et diſtincta ea omnia, quae de his plantis toties a me in loco natali lectis, nec perfunctorie obſeruatis proferre poſſem, ex *Jacquino* repetere debuiſſem. In tranſitu moneo, Cytiſum *Linnaeanum* ramis ſupinis nec unquam erectis florere, flores cum umbellatis et laterales protrudere: Jacquinianum uero mere capitatos pro-

Digitized by Google

proferre, nec unquam axillares, ſitumque prorſus ſeruare erectum. Quod ualet duntaxat de cicurantibus exemplis; non uero de hortenſibus, quae multum luxuriantur, magnitudine, florum et ramorum fertilitate. Neque nomina auctorum cuncta, quibus LINNAEUS Cytiſum dictum deſignat, ſtirpi reſpondent: ſic JACQUINIUS Cytiſum capitatum coniungit cum ſequentibus:

Cytiſi ſeptimi ſpec. altera Cluſ. hiſt. 97.

Cytiſus ſupinus foliis inferne et ſiliquis molli hirſutie pubeſcentibus. Bauh. pin. 390.

VARIETAS. *Cytiſi quinti ſpec. altera Cluſ. hiſt.* 96.

Cytiſus hirſutus maior, foliis pinnatis. Bauh. pin. 390.

Cytiſus ſeptimo Cluſii ſimilis. Beſl. hort. eyſt. uern. arb. foll. II. f. 2. *Scop. Carn. ed.* 2. *T. II. nr.* 906. *p.* 70.

Caeterum figurarum autopſia *fl. auſtr. Tab.* 20 *et Tab.* 33. abunde unumquemque diuerſitatis Cytiſi ſupini Linn. et Cytiſi capitati Jacqu. conuincere poterit.

XXI.

Iacobaeam uulgarem flore nudo. Rai angl. 2. *p.* 82 etiamnum cum Ill. JACQUINIO diuerſam a *Iacobaea uulgari laciniata Bauh. pin. p.* 131. habeo. In horto conſtans manſit, nec aliam quam in Heluetia et Au-

Digitized by Google

ſtria lecta formam induit. Inprimis calycum apices non ſphacelati, ſed palleſcentes, et odor gratus florum, tempore floreſcentiae autumnali, perpetuo me obſeruante, adfuit, licet Cl. *de la Chenal Obſ. botan.* §. VIII. non conſentiat. *Celeberr. Jacquin* plantam icone *in fl. auſtr. T.* 328. *p.* 42. eximie illuſtrauit.

XXIII.

Aſteri montano purpureo ſimilem ſ. Globular. I. Bauh. hiſt. T. II. lib. XXIV. p. 1047. non ſeparo cum *Fl. Lappon. p.* 242. ab *Aſtere caule unifloro, foliis integerrimis calyce uilloſo ſubrotundo eiusd. nr.* 307. *t.* 9. *f.* 3. licet Bauhinus ſcapum folioſum pingat, qui in ſpeciminibus lapponicis unifolius eſt. Polymorpham et hancce ſpeciem eſſe, uaria in alpibus auſtriacis lecta me docuerunt exempla, quorum ſcapum mox nudum, mox uni - et bifolium, mox multifolium deprehendi.

XXIV.

Non ſepararem proinde ab *Aſtere caule unifloro Fl. Lapp. nr.* 307. *t.* 9. *f.* 3. *Erigeron caule ſubbifloro, calyce ſubbirſuto, foliis obtuſis ſubuilloſo Sp. Pl. ed. nou. p.* 781. et ſcapos ramoſos pedunculis bifloris, et trifloris, immo quadrifloris mihi uiſos, non ſufficientes habeo pro creanda peculiari ſpecie: uariare admodum binas haſce ſpecies et in hortis obſeruaui; immo

Digitized by Google

mo priorem ſtirpem in editioribus alpium iugis legi, poſteriorem uero in campis duntaxat ſubalpinis. Perſuadeo mihi quidem, poſteriorem ad ſummas alpes euectam in ſcapum uniflorum, priorem uero magis in ſubalpinis naſcentem, in ramoſum, multiflorum euaſuram: de hirſutie calycum, et foliorum ſcapi idem ualet.

XXV.

Varia a diuerſis miſſa ſub nomine *Ocymi minimi* exempla, ſi conueniunt cum dato ab PERILLUSTR. LINNAEO charactere, quod non nego, recedere mihi in eo uidentur, quod habeant folia non admodum ouata integerrima, adeo ut potius folia rhombeo - ouata obtuſa (*Chenop. od. uuluar.*) margine exigue denticulata, petiolata obſeruem: accedunt uerticilli terminales depauperati, approximati, corollulae incarnatae; odor OCYMI *gratiſſimi*, neque adeo fortis.

XXVI.

Quam ſtirpem DIOSCORIDES *libr. IV. Cap. XI.* ſub ſequenti deſcriptione:

Clymenum caulem fert fabae quadratum: folia plantaginis, folliculis ſupra caulem in ſeſe inflexis, ut in iride et polyporum cirrbis. Probatiſſimum eſt e montibus. E frutice toto cum radice ſuccus exprimitur, qui ad

 ſangui-

Digitized by Google

ſanguinis reiectiones in potu efficax eſt: coeliacos, rubraque foeminarum profluuia, refrigerando infraenat: ſanguinem naribus erumpentem ſupprimit. Folia trita, aut ſiliquae recentibus uulneribus impoſitae, ea ad cicatricem perducunt: ex interpretatione Ruellii, intellectam uoluerit, ab origine fere ſcientiae herbarum ignorabatur, eiusque ſcriptores inter ſe de hac inprimis diſceptabant.

Ipſi DIOSCORIDIS Commentatori MATTHIOLO parum conſtaſſe, edoceor illius expreſſis uerbis *p.* 493. *Quamobrem quaenam herba Clymenum in Italia hodie referat, hactenus non ſatis compertum habeo:* et multa alia l. c. ante hanc confeſſionem ingenuam paradoxa de huius ſtirpis cognitione profert, quae uix legi merentur.

Caſparum Bauhinum pariter de hac ſtirpe fuiſſe incertum, ex duplici eius in *Pinace* Clymeni DIOSCORIDIS mentione apparet. Una legitur *p.* 287, ubi *Scorpioidem Bupleurifolium ſuum cum ſtirpe* DIOSCORID. *peſſime coniungit, et per errorem* COLUMNAM allegat, quem de ſtirpe BAVHIN. loco ſuo nec quicquam protuliſſe, comperi: altera extat *p.* 275: ibidem *Caltham uulgarem* pro planta declarat DIOSCORIDIS. Certum tamen non fuiſſe, licet COLUMNAM rectius citet, liquet ex eius iterata confuſione cum *Chryſanthemo Dioſcoridis.*

Fratrem

Digitized by Google

Fratrem *Iohann. Bauhin.* aeque minus fuiſſe certum, euincitur *Hiſt. Pl. T. II. Lib. XV. Cap. V.* Multus enim eſt in reprehenſione ueterum, quod minus recte uerum DIOSCORIDIS iudicauerint *Clymenum.* PLINII, GAZAE, HERMOLAI, RUELLII lapſus carpit, eorumque perſtringit ſerio hallucinationes, nec corrigit eos, nec ipſe eruit ſtirpem omnino ſibi ignotam: narrat, quot et quantis nominibus Clymenum DIOSC. ſuis barbaris, et graecis notum fuerit; quicquid etiam ſit, plus confert IOHANNES BAUHINUS ad hiſtoriam ſtirpis, quam frater CASPARUS et MATTHIOLUS.

LOBELIO etiam aqua haeret *Obſ.* 288. *et Aduerſ.* 230. Legitur interrogans: *Betonica aquatica ſeptentrionalium an Clymenum Dioſcoridis?* fuſius mentem alibi explicat, nec erubeſcit fateri, illum quoque plantam DIOSCORIDIS fugere.

Hiſtoria plantar. Lugdunenſ. 1356. quorundam ſententias de *Clymeno* DIOSC. ex DODON. *pemptad. p.* 50. repetit, uergentes omnes in iam iam dictam *Betonicam aquatilem.*

DODONEUS l. c. problematice proponit ſuam *Betonicam aquatilem*, quum non animaduertit notas, a DIOSCORIDE ad *Clymenum* enucleandum propoſitas, nec alia, quae huc faciunt, habet.

CLU-

Digitized by Google

CLUSIUS *hiſt.* 129. pingit *Clymenum* MATTHIOLI, quod eſt *Lathyrus ſylueſtris;* et unicus eſt, qui COLUMNAE meminit, et eius plantas iis conſulendas, qui *Clymenum* DIOSCOR. noſſe deſiderant, ſuaſit.

COLUMNA PHYTOBAS. *p.* 52. me iudice genuinam DIOSCORIDIS ſtirpem, puta *Clymenum*, pinxit: prolixo ſermone auctorum errores narrat, corrigit et animoſe reprehendit. Carpit PLINIUM, quod uitioſe transſcripſerit DIOSCORIDEM; et refellit eorum opiniones, qui *Clymenum* DIOSCORIDIS pro *Betonica aquatili*, *Clymeno* MATTHIOLI, *Periclymeno*, *Siciliana* LOBELII et aliis habuerunt: addit et alia, quae ſtirpis uirtutem et uſum medicum illuſtrant atque comprobant. Mirandum, omnes ſtirpium deſcriptores, a me hucusque uel enumeratos uel ſtudio omiſſos, praeter CASPARUM BAUHINUM et CLUSIUM, COLUMNAM reliquiſſe intactum, quum tamen eis admodum toties ſemet ipſos exſcribere fuerit ſolemne, et caſu iſto praecipue, quo unicus COLUMNA iis, qui minus *Clymenum* DIOSC. compertum habebant, digito ipſiſſimum monſtrare potuerit.

Ipſe itaque COLUMNA l. c. genuinum icone eximio repraeſentauit *Clymenum* DIOSCORID. et ipſe

ipſe agnouit iconem pro uero *Clymeno* DIOSC. *Cui*, inquit, *deſcriptioni nullam praeter hanc a me depictam conuenire patebit*, *p*. 52. et *Caltham uulgarem* C. BAUH. *pin*. 275. *Clymenum* DIOSC. eſſe, quisque fatebitur, qui nouit *Caltham B*. et inſpicit COLUMNAE iconem.

Caltham uulgarem C. B. P. l. c. nec *ſpecie nec uiribus* differre a *Caltha aruenſi* C. BAUH. *pin*. 276, ſecundum HALLERUM, praeunte RAIO, PERILLUSTRIS EQUES MURRAY *Adp. medic. T. I. pag*. 174, adnotat, quod quidem parum noui, nec conſentit BLACKWELL. *t*. 106. — Nuperi notitiam ſtirpium ueterum negligunt auctorum, ob uexas forſan, quas parit ſedula earundem inueſtigatio; in gratiam itaque eorum, qui talia curant ſtudia, haec paucula quaſi recoxi, confidens etiam recocta placitura nonnullis.

XXVII.

Quot et ſpecimina uiua et ſicca *Brunellae hyſſopifol*. C. BAUH. *pin*. *p*. 261. ſ. *Prunellae foliis lanceolatis integerrimis ſeſſilibus*, *caule erecto ſyſt. ueget*. *p*. 458. cum deſcriptione LINN. contuli, tot et uidi cauliculis necdum erectis: ne dicam quidem humifuſis, aut proſtratis, ſed omnino flexuoſis, et curuatis. Praeſtantior nota, miſſo habitu erecto, quae duntaxat

taxat noſtram a uulgatiſſima officinali Brunella diſtinguit, primo ſtirpis intuitu cuilibet patebit. Cauliculi lignoſi duri, ultra pedales albeſcentes, flexuoſi quadranguli, canaliculati, bifariam hirti. Folia lanceolata, ſeſſilia oppoſita, hiſpida, ſubtus neruo albo conſpicuo, ſupra uix manifeſto, margine ciliato, ciliis adeo uero rigidis et curtis, ut ſi perfunctorie contempleris, folia dixeris ſerrulata. Corollae multo uulgari maiores, dorſo labii ſuperioris hiſpido, quod et in *P. grandiflora* et laciniata obſeruo: bracteae cordato - ouatae, acuminatae marginibus hirtis. Rami axillares perpetuo ſterileſcentes plerumque foliis linearibus integerrimis *Hyſſopo* ſimillimis ueſtiti ſunt, ex qua forſan ratione ſtirps noſtra iſtud ſortita fuit triuiale nomen, quod non optimum eſſe iudico, *Brunella hyſſopifolio amplo flore caerul.* MORIS. *hiſt. ſ. II. t. 5. f. 9*; *ſic ut Brunella anguſtifolia hirſuta eiusd. ſ. II. t. 5, f. 7.* huc non pertineat.

XXVIII.

Doctiſſ. ETLINGER *Med. Dr. Culmbacenſis*, Botanicus ſolertiſſimus, in Diſputatione ſua, quam cum laude in *Academia Friderico - Alexandria celeberrima* uentilauit, *Saluiam creticam pomiferam et non pomiferam* CLUSII *hiſt. p.* 343, quam ego aliunde acceptam in horto ſicco aſſeruo, eximie deſcripſit: aſt ratio obſtat, quominus de colore floris, quem caeru-

Digitized by Google

caeruleum, raro album, depraedicat, ad ſententiam eius accedam. Specimen meum legeram floribus copioſis laete incarnatis onuſtum, et CLUSIUM ipſum habeo mecum conſentientem, *florere* ait l. c. *banc ſaluiam floribus ex albo purpuraſcentibus:* quem colorem etiam exſiccata pulcherrime prae ſe fert. Caetera conueniunt deſcriptioni. Folia inferiora breuiter aurita ſunt, ſuperiora omnino latis et manifeſtis auriculis diſtincta: iuniora mere ouata integra, obtuſa, alia integra lanceolata.

XXIX.

Saluia foliis cordato-ſagittatis ſerratis acutis. Linn. Sp. Pl. ed. noua p. 68. in lutoſis quidem legitur, creſcit quoque in montanis ſaxoſis apricis, immo apricis ſabuloſis ſterilibus. Vtrisque locis uegeta ſtat corollis grandiuſculis admodum laeta, relatiue multo maioribus, quam in culta: neque uero ad eam altitudinem emergit, quam culta, robuſtior duntaxat, et magis glutinoſa. Legi ſpecimina cicurantia foliis cum haſtatis, in uno eodemque caule, ex orbiculato rotundis, tamen dentatis.

XXX.

Saluia foliis ſubrotundis integerrimis: baſi truncatis dentatis. LINN. SP. PL. *ed. nou. p.* 69. Caulis in olla quadripedalis fruticoſus, ramoſus. Ramis caulem

termi-

Digitized by Google

terminantibus modo fuſcis, modo candidiſſimis, ob tomentum in iunioribus, quadrangulis, articulatis, duris, ſtrictis, neque adeo fragilibus. Folia oppoſita, petiolata ſemiamplexicaulia, ſubrotunda, tomentoſa, circumſcriptione omnino crenato - dentata, iuniora et diminutiora ſi excipias, integerrima habes, uenoſa uenis reticulatis. Flores capitati terminales, oppoſiti breuiter pedunculati. Calyx campanulatus, trifidus, laciniis cordatis, acutis, uilloſus inſtar foliorum, uenoſus, rariſſime margine coloratus. Corolla calyce quadruplo maior. Labium ſuperius falcatum, dorſo et lateribus pubeſcens: inferius trifidum. Tubus calyce longior, faux inflata, interne piloſa. Stamina aequalia, filiformia exſerta, antheris flaueſcentibus. Stigma inaequaliter bifidum. Semina rariter matureſcunt. Floret cum *Gratiola offic.* et *Rhamno Paliuro.*

XXXI.

Quae nunc deſcribenda uenit *Saluiae ſpecies*, perquam obſcuro nomine mihi transmiſſa, multum ab omnibus a Cl. LINN. recenſitis ſaluiae ſpeciebus uidetur recedere, unica licet excepta *Dominica*, cum qua affinitate forſan aliqua coniuncta erit. Primo intuitu pro *S. ſpinoſa* habenda, ſed maxime differt. Deſcriptionem exhibeo. Caulis pedalis, tetragonus, pilis candidis copioſis obſitus. Folia oppoſita,

Digitized by Google

poſita, ſubcordata, longe petiolata, petiolis baſi rufa dilatatis, amplexicaulibus, eroſa, repanda, acuminata, inaequaliter dentata, pubeſcentia, baſi antica excisa. Verticilli quadri-quinque-et ſexflori. Bracteae cordatae, integerrimae, acuminatae, acumine notato; ſtipula utrinque ſubulata. Calyces quinquefidi, hirſuti, uentricoſi, petiolati, laciniis ariſtatis. Corollae tubus calyce longior et anguſtior. Labium ſuperius erectum, pubeſcens, labii inferioris lacinia media emarginata, ſtamina exſerta. Stylus depreſſus, ſtigma bifidum coloratum. Flores in florente dilutius caeruleſcentes ſunt, ut MILLERUS uult; exſiccatione prorſus colorem ſ. ſpinoſae induebant.

XXXII.

Hippiae fruteſcenti. LINN. *Sp. Pl. ed. nou. pag.* 938. pauca quae habeo addenda haec ſunt. Caulis octo ad decem pedes altus MILL. uillo rufeſcente obſitus, ſuperne magis, praeprimis ramulis iunioribus axillaribus. Folia alterna pinnata, pinnis lanceolatis obtuſis, neruo in mucronem abeunte, non oppoſitis, ſed alternantibus, per rachin folii decurrentibus, utraque pagina pubeſcentibus, nec uilloſis; uerſus florum exortum inſigniter in latitudinem excreſcunt, dum magis inferne anguſtantur. Flores terminales exigui luteſcentes, calyx ante floris explicationem clauſus ut in Maluaceis: radium nunquam

Digitized by Google

quam uidi. Semina omnino nuda. Cetera conueniunt.

XXXIII.

Quum animaduerterem, *Cheiranthum foliis lanceolatis dentatis nudis, caule erecto ſimpliciſſimo, ſiliquis tetragonis. Linn.* — *Cheiranthum foliis linearibus integris ſubtomentoſis, caule ramoſo. Linn.* — *Heſperidem foliis glabris linearibus, lanceolatis, obiter dentatis Hall.* — et *Heſperidem foliis linearibus lanceolatis, obiter dentatis, ſiliquis erectis tetragonis Hall.* ſaepius ab auctoribus confundi, eorumque ſynonymiam ab hoc uel illo minime conuenienti addi, proxime conuenienti detrahi, hinc ratus non inutilem hanc fore nominum diſtributionem. Licet mihi ſint plura botanicorum nomina in promptu, quae facile uni uel alteri ſpeciei addi potuiſſent, et forſan debuiſſent, ambigens uero adhuc de illis, merito omiſi, ne nouae confuſionis auctor fiam.

1. CHEIRANTHUS *eryſimoides* foliis lanceolatis dentatis, caule erecto, ſiliquis tetragonis. LINN. *Sp. Pl. ed. nou. p.* 262.

Leucoium luteum ſylueſtre anguſtifolium. C. BAUH. *pin. p.* 202.

Eryſi-

Digitized by Google

Eryſimum foliis integris lanceolatis margine repando-dentatis. HORT. UPS. *p.* 192. *non ſynonyma.*

Cheiranthus eryſimoides. JACQU. *Fl. Auſtr. Tab.* 74.

2. CHEIRANTHUS *alpinus* foliis linearibus integris ſubtomentoſis. MANT. *p.* 93.

Eruca ſylveſtris anguſtifolia LOB. *obſ. p.* 102. HIST. LUGDUN. 651.

Eruca anguſtifolia auſtriaca. C. BAUH. *Pin. p.* 99.

Leucoium anguſtifolium alpinum, flore ſulphureo. TOURN. *Inſt. R. H. p.* 222.

Eryſimum foliis linearibus incanis integris. GEV. *fl. Galloprov. p.* 365.

Eryſimum ſylveſtre. SCOP. *Fl. Carn. ed.* 2. *T. II. nr.* 830.

Cheiranthus alpinus. JACQU. *Fl. Auſtr. Tab.* 75.

3. HESPERIS foliis glabris, linearibus, lanceolatis, obiter dentatis. HALL. *helv. nr.* 449. *Tab.* 14.

Heſperis leucoii folio ſerrato, ſiliqua quadrangula. TOURNEF. *Inſt. R. H. p.* 223.

Leucoium anguſtifolium alpinum flore ſulphureo. ALLIONI *ſtirp. Pedem. ſpec. I. p.*44. *Tab.* 9. *f.* 1. 2. Figura bona, nomen peſſimum.

Heſperis. SCOP. *Carn. ed.* 1. *p.* 520.

Eryſimum Heſperis. SCOP. *Carn. edit.* 2. *T. II. nr.* 829.

4. HESPERIS foliis linearibus lanceolatis, obiter dentatis, ſiliquis erectis tetragonis. HALL. *helu. nr.* 450.

Leucoium ſylueſtre. CLUS. *hiſt.* 1. *p.* 299.

Heſperis leucoii folio non ſerrato ſiliqua quadrangula. TOURN. *Inſt. R. H. p.* 223.

Cheiranthus helueticus. JACQU. *Hort. Vindob. T. III. p.* 9. *Tab.* 9.

XXXIV.

Gramen cyperoides ſpica ſimplici compreſſa diſticha. SCHEUCHZ. *Gram. p.* 490. a FLORA SUEC. *n.* 835. BOEHM. *Fl. Lipſ. n.* 674. et SCOPOLIO *fl. Carn. ed.* 2. *nr.* 1167. ad *Caricem* ſpica compoſita, ſpiculis androgynis: inferioribus remotioribus foliolo longiori inſtructis, culmo triquetro LINN. *Sp. Pl. ed. nou. p.* 100. optime refertur. Hinc expungendum erit

erit idem SCHEUCHZERIANUM Synonymum, quod Celeberr. LINNAEUS in ſuo *Schoeno* culmo ſubtriquetro nudo, ſpica diſticha, inuolucro monophyllo repetit: pariter expungam in HALLERIANO *Scirpo* planifolio ſpica terminante diſticha *nr.* 1342, qui ipſiſſimus *Schoenus* iam allegatus eſt. Multo aptius conuenit *Gramen cyperoid. Scheuchzerianum* cum *Carice* ſpicis in ſummo caule congeſtis, imis foliolo inſidentibus HALL. *helu. nr.* 1362, quod omnibus notis cum *Carice* ſpica compoſita etc. LINN. conuenit. Minor foret confuſio, ſi uniuerſa ſynonymia *Schoeni* culmo ſubtriquetro etc. LINN. ad *Caricem* ſpica compoſita, ſpiculis androgynis, inferioribus remotioribus foliolo longiori inſtructis, culmo tereti LINN. *Sp. Pl. p.* 101. transferretur; quod parum, iam *Mant. II. pag.* 494. monente, refert. Affinitas enim graminum eorundem tanta eſt, ut primo intuitu a ſe inuicem diſtinguere haud potuerim.

XXXV.

Si *Carex anguſtifolia, caule triquetro, ſpicis pluribus elegantibus, parum inter ſe diſtantibus.* SEQUIER *Veron.* I. *p.* 124. *t.* I. *f.* 3. *Suppl.* 84. conuenit cum *Carice* ſpicis ternis, congeſtis, glumis ariſtatis. HALL. *helu. nr.* 1367; conueniat neceſſe erit *Gramen Hallerianum* cum *Carice* ſpica compoſita diſticha nudiuſcula: ſpiculis contiguis androgynis teretibus rectis,

 culmo

Digitized by Google

culmo ſuperne nudo, Illuſtr. SCHREBER *Spicileg. Fl. Lipſ. nr.* 1010. Vt mihi perſuadeo, *Carex* HALL. *nr.* 1367. omnino pertinet ad *Caricem Schreberian.*, id quod ex repetita collatione uariorum ſpeciminum huius graminis cum gramine HALLERIANO toties ex *Heluetia* transmiſſo utique colligo.

XXXVI.

CAREX *ſpicis maſculis pluribus erectis, femineis pendulis, capſulis ouatis obtuſis bractea breuioribus* Illuſtr. SCHREBERI *Spicileg. Fl. Lipſ. append. nr.* 669. uix nota aliqua diſtincta differt a *Carice* culmo ſubtriquetro; ſpicis pendulis, pedunculatis fuſcis, capſulis obtuſis. Cl. SCOP. *Fl. Carn. p.* 214. *nr.* 8. et *Fl. Carn. ed.* 2. *T. II. p.* 223. *nr.* 1157. Vtrumque uirum celeberrimum adducere uideo *Caricem* ſpicis maribus una pluribus, femininis pendulis, capſulis ouato triquetris confertis. HALL. *helu. nr.* 1408. Huc accedit, quod deſcriptio Cl. SCOPOLI l. c. ex aſſe quadrat in *Caricem* SCHREBER.

Synonymum LOESEL. *Fl. Pruſſ. Ic.* 30. ad nullam harum Caricum referendum erit.

Synonymum *Cyperoides* etc. MICHEL. *Gen. Pl. p.* 67. *nr.* 57. rectius cum *Carice* noſtra conuenit, quam *nr.* 52. *e. p.*

Digitized by Google

XXXVII.

CYPEROIDES *ſyluarum tenuius ſpicatum. Scheuchz. Gram. p.* 418. 6. uideo Perill. HALLERUM cum *Carice* ſpicis femininis pendulis, raris, praelongis, capſulis roſtratis bifidis *nr.* 1359. coniungere. Coniungit et Cl. SCOPOLI nomen HALL. cum *Carice* culmo triquetro; ſpica maſcula albicante triquetra, femineis pedunculatis, pendulis; capſulis acutis glabris. *Fl. Carn. ed.* 2. *T. II. nr.* 1160. *t.* 59.

Sed omnino Gramen *Scheuchzerianum* Cl. SCOPOLI in ſuo *Carice* 1160 deſcriptum repetit, licet figura rudis et minus bona contrarium demonſtret. — Facile ad hoc credendum inducor, quum Illuſtr. SCHREBERUS *Cyperoides* ſyluarum tenuius ſpicatum *Scheuchz.* SCOPOLIO transmiſerit, quod fatetur *pag.* 226. Ergo conueniat cum *Carice* SCOPOL. *Carex* ſpicis pendulis: maſcula erecta, femineis filiformibus pedunculo breuioribus, capſulis acutis diſtantibus. *Spicileg. fl. Lipſ. p.* 62. *nr.* 661. MORISONII figura 3. *p.* 243. *ſ.* 8. *t.* 12. *f.* 9. ſatis bene iſtud gramen delineatur.

XXXVIII.

CARICEM *albam culmo tereti, nudo; ſpicis pedunculatis erectis albidis: feminea ſupra marem elata; capſulis leuibus* SCOP. *Fl. Carn. ed.* 2. *p.* 216. *nr.*

 1148:

Digitized by Google

1148: omnino credo cum MICHELIO, habere culmum exacte triquetrum, quod et mihi perſuaſum eſt ex uariis ex *Heluetia* transmiſſis exemplis: uarias aetates hoc gramen elegans aſſumere, perinde quoque uarias formas, quod credere recuſat *Vir Celeberrimus*, me teſtem habeat. Aſſeruo ſpecimina *Caricis* ſpicis femininis raris, petiolatis, teretibus, acutis, marem aequantibus HALL. *helu. nr.* 1377 in quibus obſeruo:

1. Folia ſetacea, anguſtiſſima, conferta culmo breuiora.
2. Folia uelatiue latiora, glauceſcentia.
3. Folia ſetacea carinata anguſtiſſima culmum per dimidium ſuperantia.
4. Culmos ſemper triquetros.
5. Radix omnino lata repit.

Plura poſſem adducere, ſi entia praeter neceſſitatem adaugere uellem.

XXXIX.

CAMPANULAM *foliis radicalibus reniformibus, caulinis linearibus.* LINN. *Sp. Pl. ed. nou. p.* 455. pluribus, quam tribus iis a CL. LINNAEO recenſitis gaudere uarietatibus: *Campanula minor. rotundifol. uulgari, — alpina — et linifolia* BAUH. dudum habebam compertum. Operam ergo nauaui, in conquiren-

quirendis praecipue iis uarietatibus dictae *Campanulae*, quae recedere mihi a tribus LINNAEANIS uidebantur; occurrebant mihi uaria ſpecimina, quae generalem *Campanulae rotundifoliae* nomenclaturam quidem amplectebantur, ſed tertium comparationis quodcunque cum iis tribus *uarietatibus* omnino reſpuebant. In quas autem incidi uarietates hactenus minus cognitas, exponam et deſcribam, ut, quomodo inter ſe differant eo melius pateſcat. Appoſui quorundam auctorum nomina, quae maxime ſtirpibus meis idonea iudicaui.

1. *Campanula minor rotundifolia uulgaris.* C. BAUH. *pin. p.* 93.

Campanula foliis ſerratis, radicalibus cordatis, caulinis lanceolatis. HALL. *helu. nr.* 701.

CAMPANULA *rotundifolia*, radice lignoſa albida fibroſa: cauliculis ſeſquipedalibus teretibus ſtriatis glabris, inferne fuſcis, flexuoſis, parum ramoſis: pedunculis terminalibus unifloris: foliis radicalibus petiolatis, ouato-cordatis integerrimis marceſcentibus; inferioribus lanceolatis obtuſe dentatis alternis, ſuperioribus linearibus ſeſſilibus integerrimis

rimis ſtipulatis, ſummis ſubulatis capillaribus.

Habitat in muris.

2. *Campanula minor rotundifolia alpina* C. BAUH. *pin. p.* 93.

Campanula minor alpina, rotundioribus imis foliis CLUS. *hiſt.* 173. deſcriptio.

Rapunculus flore globoſo purpureo. CHABR. *ſciagr. p.* 262.

Rapunculus alpinus minor rotundifolius MORIS. *hiſt. part. II. p.* 456. *ſ.* 5. *T.* 2. *f.* 16.

Campanula foliis ſerratis, radicalibus cordatis, caulinis linearibus. HALL. *helu. nr.* 702.

CAMPANULA *rotundifolia*, radice debili fibroſa ſtolonifera: cauliculis multifloris raro unifloris teretibus bi-et triuncialibus: foliis radicalibus longiſſime petiolatis, petiolis filiformibus, ouato-cordatis ſerratis, cotyledoneis ouato-cordatis integerrimis, perſiſtentibus, nudis: inferioribus rhomboideis ſubſerratis acutis, caulinis ſeſſilibus lanceolatis integerrimis: pedunculis pluri-

Digitized by Google

pluribus unifloris, braƈtea interſtinƈtis: calycum laciniis patulis corollis cernuis.

Habitat ad ſcaturigines et riuulos alp. infer: legi cum Moehringia, Arabi alpina, Lychnide quadrifida, Cardamine trifoliata, et Valeriana tript.

In hortum translata hanc formam induit. Caules pedales ramoſi compreſſi, ſtriati: folia radicalia plerumque nulla, inferiora caulina lanceolata medio tantum ſerrata ſeſſilia, ſuperiora integerrima, ſumma ſubulata. Rami terminales, pedunculis bifloris, floribus magnis braƈteatis.

3. *Campanula alpina linifolia caerulea.* C. BAUH. *pin. p.* 93.

Campanula caule ſimplici, foliis ſubhirſutis, linearibus, petiolis unifloris. HALL. *helu. nr.* 700.

CAMPANULA *rotundifolia*, cauliculis ſimplicibus ſtriatis, angulatis, hirſutis; pedunculis unifloris terminalibus folioſis: foliis anguſtiſſimis linearibus.

Habitat paſſim in ſubalpinis editioribus.

4. *Cam-*

4. *Campanula caerulea foliis ſerratis.* MORIS. *hiſt. II. p.* 452. *ſect.* 5. *Tab.* 1. *f.* 3.

CAMPANULA *rotundifolia* multicaulis, radice deſcendente craſſa rapiformi parum ramoſa, minus fibroſa: cauliculis triuncialibus ſubunifloris, floſculo uno alteroue abortiente; foliis radicalibus in ceſpitem compoſitis ex rotundo laciniatis dentatis, petiolatis, ſeu in petiolum decurrentibus, caulinis linearibus dentato-laciniatis coronopoeis: corolla caerulea ante floreſcentiam cernua, poſt floreſcentiam declinata: calycum laciniis ſubulatis, patulis diuergentibus.

Legi in ſummis alpibus cum Campanula pulla, et alpina.

5. *Rapunculus alpinus ſ. pyramidalis minor* C. BAUH. *pin.* 93.

CAMPANULA *rotundifolia* multicaulis, radice detruncata breui: cauliculis biuncialibus unifloris: foliis radicalibus in ceſpitem compoſitis petiolatis ouato cordatis integerrimis cochleariae

Digitized by Google

leariae ſimilibus, aliis ouato-crenatis obtuſis uenoſis: inferioribus lanceolatis obtuſe dentatis, caulinis paucis bracteas mentientibus linearibus integerrimis.

Legi cum praecedente.

6. *Campanula rotundifolia, minima.* C. BAUH. *pin.* 93.

CAMPANULA *rotundifolia*, radice tenui albida oblique deſcendente: cauliculis angulatis ſtriatis uncialibus paucifloris: foliis radicalibus angulatis hederaceis nudis, obtuſis, petiolatis perſiſtentibus; inferioribus lanceolatis integerrimis margine reuolutis obtuſis, caulinis paucis ſubulatis: corollis cernuis.

Habitat in ſummis alpibus cum Leontopodio.

7. *Nec nomen nec figuram in auctorum ſcriptis inuenio; ex quibus plantam determinem.*

CAMPANULA *rotundifolia* radice recta deſcendente parum fibroſa: cauliculis pedalibus multifloris ramoſiſſimis duris fuſcis; ramis folio ſingulo

oppoſi-

oppoſitis peduncùliferis, pedunculis filiformibus alternis uniflo-ris, folioſis, floribus defloratis declinatis onuſtis. Foliis radicalibus in ceſpitem compoſitis omnibus perſiſtentibus, cordato-lobatis, dentatis, glaucis, longiſſime petiolatis, cymbolariae ſimilibus; caulinis lanceolatis, integerrimis, ſummis ſubulatis.

Legi in lutoſis Alſatiae.

8. *Campanula ſylueſtris minima.* DODON. *pempt. ſtirp.* 2. *l.* 1. *cap. X. p.* 167.

Campanula parua rotundifolia Anguillara cantabrica dicta flore ſaturate purpureo. CHABR. *ſciagr. p.* 264.

Campanula uulgaris minor, foliis imis rotundioribus ſinuatis non ſerratis. MORIS. *hiſt. II. p.* 456. *ſ.* 5. *Tab.* 2. *f.* 17.

CAMPANULA *rotundifolia*, radicibus oblique deſcendentibus fibroſis. Cauliculis dodrantalibus flexuoſis teretibus, ramoſis, folioſis; pedunculis unifloris; foliis radicalibus cordato-ouatis, obtuſis, ſerratis nudis baſi antica

antica exciſis: caulinis ſuperioribus lanceolatis in petiolum decurrentibus; ſummis linearibus, ſeſſilibus integerrimis.

Habitat in ſyluis montoſis.

XL.

Pimpinellam mediam. RIU. *pent.* *Tab.* 81. a *Saxifraga parua* DODON. *pempt.* *ſtirp.* *p.* 315. et *Saxifraga pimpinell. germanica minori* CLUS. *hiſt.* *p.* 197. multum diſtare, quemque figurarum autopſia, et harum ſtirpium ſedula collatio abunde docebit; at hoc non obſtante *Cl.* HALLERUS in Synonymia *Tragoſelini* foliis duplicato pinnatis, pinnulis profundiſſime lobatis *hiſt. helu.* *nr.* 787. utramque ſtirpem coniungit. *Illuſtr.* IACQUIN in *Fl. Auſtr.* *Tab.* 397. quae *Pimpinellam orientalem Gouuan.* repraeſentat, uarietati β, uniuerſam Synonymiam, quae *Tragoſelini* HALL. 787. eſt, adiungit, ideoque *Hallerianum Tragoſelinum* pro uarietate *Pimpinell. orient.* G. habet; quod uix credo, quum contrarium uaria exempla ex Heluetia transmiſſa demonſtrarunt. Aliam ab omnibus hactenus enumeratis ſtirpibus diuerſam faciem monſtrat icon BLACKWELL. ſub nomine *Pimpinell. ſaxifr.* *Tab.* 472. quam iterum *Illuſtr.* IACQUINIUS cum *Pimpinella orientali* GOUVANI confundere videtur.

tur. — Nollem quoque *uariationem quandam elegantem, quam ſemen plantae cuiusdam peruulgaris (Pimp. Saxifrag.) in horto protulit, pro noua hucuſque nondum uiſa uenditare ſtirpe.* Nollem ergo *Pimpinellam ſaxifragam maiorem degeneratam* MORIS. *hiſt. T. II. part. III; cap. XVII. pag.* 284. *nr.* 3. *ſ.* 9. *tab.* 5. *f.* 1. ut figuram bonam *Pimpinellae oriental.* commendare. Largior facile, utramque ſtirpem CLUSII *ſaxifrag. pimp. germ. minorem,* et DODONAEI *ſaxifragam paruam* cum *Pimpinella orientali coniungi poſſe;* nunquam uero cum *Pimpinella media* RIV. *Tab.* 81. — *Tragoſelino* HALL. *helu. nr.* 787. — et *Pimpinella Saxifraga* BLACKWELL. *tab.* 472.

XLI.

Selinum montanum pumilum Cluſii flore albo I. BAUH. *hiſt. T. III. Cap. XXVII. pag.* 17. Perilluſtr. LINNAEUS *in Mant. pl. II. p.* 219. cum *Peucedano* foliis pinnatis: foliolis pinnatifidis: laciniis linearibus oppoſitis, caule ramoſiſſimo patulo, coniungit. Quum uero *Selinum mont. pum.* CLUS. *hiſt. pag.* 200. exactiſſime *Pimpinellam* umbellis numeroſiſſimis compoſitis ſimplicibusque LINN. *M. II. p.* 357 referat; et dudum LINNAEUS *Cluſianum nomen* cum ſua PIMPINELLA *pumila* coniunxerit, idem uero nomen bis diuerſis ſtirpibus adiunctum ſtare nequeat; retinendum erit in *Pimpin.* et expungendum in *Peucedano.*

Magis

Digitized by Google

Magis arridet nomen *Peucedanum minus C. B.* et ab illo cum hacce ſtirpe coniuncta *Peucedani facie puſilla planta an Pſeudobunium Dioſcoridis?* LOB. *aduerſ. p.* 331. Accuſandus nihilominus *C. Bauhinus*, qui coniungit cum *Lobeliana puſilla planta Peucedanum Pannonicum* CLUSII, *hiſt.* 196. quod duntaxat figuratenus diuerſiſſimam ab Lobeliana planta faciem indicat.

Eximie IOH. BAUHINUS in deſcriptione *Selini mont. pumil.* ex CLUSII *hiſtor.* mutuata notat, uix ſe poſſe a fratre CASPARO adduci, ut credat: hanc ſtirpem conuenire cum LOBELII *Peuced. facie puſilla* planta, quae, me iudice, PEUCEDANUM *minus Linn.* repraeſentat, quam ulla alia; magis uero ſententiae eius, alio loco latae, et meam ſubſcribo, qua ſuſpicatur, *Daucum glauco folio ſimilem foeniculo tortuoſo III. c. XXVII. p.* 17 conuenire cum *Lobelii peucedanifacie* etc. licet Celeberr. LINNAEUS hanc omnino perennem ſtirpem, cum bienni *Seſeli* petiolis ramiferis membranaceis oblongis integris: foliolis ſingularibus binatisque canaliculatis laeuibus petiolo longioribus *Sp. Pl. ed. nov.* 714. coniungat. — Et quando cum *Hippomarathro* RIVINI HALLERUS *opuſc. bot. p.* 198. *Selinum mont. pumil.* CLUSII unum habet; quod uix credo: mirum, *Virum Summum* loco eo, quo errores RUPPII, LINNAEI, RIVINI in confuſione *Hippomarathri-*

Digitized by Google

thri RIVINI cum *Saxifraga pannonica* CLUSII perſtringit, in ſimilem incidiſſe errorem.

XLII.

CARVIFOLIA *C. Baub. pin. p.* 158 omnino uidetur SELINUM *Caruifolia* JACQ. *Fl. Auſtr. Tab.* 72 *ſ. Caruifolia* CHABR. *Sciagraph. p.* 389 *eſſe:* et hoc inprimis ex allegata apud BAUHINUM *Hiſt. plant. Lugdun.* in qua ſtirpem hanc ſub nomenclatura *Foeniculi ſylueſtris* LONICERI *p.* 689 depictam inuenio. Licet icon minus elegans ſtirpem non bene repraeſentet, nota tamen apud Bauhinum excuſatur, exiſtere quoque uarietatem foliis etiam anguſtioribus.

XLIII.

Ignoraſſe me diu, qualis nam ab Illuſtr. HALLERO *nr.* 762 ſtirps fuerit deſcripta, mihi a nemine uitio poſſe uerti, exiſtimo. Immanem enim *Seſeleos* ſpecierum caeterum notiſſimarum confuſionem quisque ibidem deprehendet. Rectius tamen citat Vir ſummus *Pimpinellam tenuifoliam* RIV., qua uiſa, non amplius dubium ſupererat, Cl. HALLERUM *Seſeli* petiolis rameis membranaceis uentricoſis emarginatis L. ſibi ſumſiſſe deſcribendum.

XLIV.

Vix ueriſimile eſt C. BAUHINUM in *Pinace Selinum* foliis triplicato-pinnatis, pinnulis latiuſculis, ſimpli-

ſimplicibus et trifidis. HALL. *helu. nr.* 802. Tab. XX. ſub diuerſis nominibus bis deſcripſiſſe. At bis deſcripſit omnino, dum modo *Seſeli pratenſe tenuifolium* ſiue *Daucus pratenſis tenuifolius* PIN. *p.* 162. et *Caruifolia tertia* PIN. *p.* 158 ſimul ad *Selinum* caule ſulcato - acutangulo, inuolucro uniuerſali euanido, piſtillis fructus reflexis *Linn. Sp. Pl. ed. nov. p.* 674 referri poſſent. Negarem uero: et *Seſeli pratenſe tenuifolium* B. l. c. ad *Selinum* LINN. ante dictum referrem, *Caruifoliam tertiam* B. *p. l. c.* ad SELINUM *caruifol.* CHABRAEI JACQ. *Fl. Auſtr. Tab.* 72.

XLV.

Cum PIMPINELLA *pumila* JACQ. *Fl. Auſtr. Tab. XXVIII.* forſan maiori iure combinarem *Ammi minus* RIV. *monop. irr. tab.* 94, et *Ammi minimum tab.* 95, quarum altera maſcula altera hermaphroditica erit; quam *Tragoſelinum* caule craſſo, ſulcato, diuaricato, foliis multifidis capillaribus. HALL. *helu. nr.* 788. Spectat enim *Tragoſelinum* iſtud *Hallerianum* non immerito ad *Seſeli* caule alto rigido, foliolis linearibus faſciculatis. LINN. *Sp. Pl. ed. noua p.* 715. quod etiam in Heluetia creſcere ſpeciminibus inſtructiſſimis demonſtrauit ex herbario *Dickiano* Illuſtris TRIBOLET Medicus et Botanicus acutiſſimus Bernenſis.

Digitized by Google

XLVI.

Seſeli Maſſilienſe Dioſcoridis CLUS. *hiſt. p.* 199. potius ad *Seſeli* petiolis rameis membranaceis uentricoſis emarginatis. LINN. *Sp. Pl. ed. nou. pag.* 714. JACQ. *Fl. Auſtr. Tab.* 55. ſpectare, quam *Saxifraga pannonica* CLUS. *hiſt. p.* 196. coniectura forſan non eſt incongrua.

XLVII.

Quum uiderim tres caeteroquin notiſſimas ſtirpes a nuperis botanicis etiamnum mire inter ſe confundi; periculum feci, num quid in iis ualerem enodandis.

1. CAUCALIS inuolucro uniuerſali fere nullo, umbella bifida, inuolucellis pentaphyllis. LINN. *Sp. Pl. ed. nov. p.* 666.

Caucalis aruenſis echinata, paruo flore et fructu. BAUH. *pin. p.* 152.

Lappula canaria, flore minore ſ. tenuif. IOH. BAUH. *hiſt. Tom. III. C. XXVII. p.* 80.

Liceat deſcriptioni a PERILL. LINN. *in M. p.* 351 exhibitae haec pauca addere.

Caulis flexuoſus, decumbens, ſubangulatus.

Folia amplexicaulia ramis oppoſita.

Umbella plerumque trifida.

Umbellulae ſexflorae. *Inuolucella* acuminata, margine membranacea.

Fructus

Fructus totus aculeatus, - uerticillos hiſpidos non uidi.

2. CAUCALIS foliis duplicato pinnatis, pinnulis longe confluentibus. HALL. *helu.* *nr.* 742.

Caucalis humilis RIU. *pent. irr. T.* 33.

Caucalis procumbens RIU. *pent. irr. T.* 34.

Caucalis aruenſis humilior et ramoſior. MORIS. *hiſt. p.* 308. *nr.* 9.

HUDSON *Fl. Anglic. p.* 98. *nr.* 1.

Fide tantum *Perill. uiri* hanc repetii ſynonymiam, licet Icones RIUIN. non ſatisfaciunt.

3. SCANDIX ſemine exteriori hiſpido, umbellulis confertiſſimis hemiſphaericis. LINN. *ſyſt. ueget. p.* 237.

WILLICH. *Illuſtr. botan. p.* 34.

FORSKOHL. *fl. aegypt. arab. p.* 58.

IACQUIN. *Fl. Auſtr. Tab.* 46.

Cum *Caucalide L. nr.* 1. et *Caucalide* HALLERIANA *nr.* 2. prorſus nihil habet haec *Scandix*, quo cum iis conueniret, (licet contrarium nuperi adnitantur demonſtrare,) niſi excipis duntaxat Seminum arma, et quod umbellifera eſt, et uegatabilis. SCANDICEM *infeſtam* IACQu. *l.c.* cum *Halleriana Caucalide,* quae parum

 LIN-

LINNAEO nota fuit, confundit CELEBERR. DE LA CHENAL *Obſ. XXII.* deceptus forſan a figura *Iacquiniana* non omnes notas habente. *Caucalis* enim HALL. nunquam in tantam caulium altitudinem et foliorum amplitudinem degenerat, ut alia diſcrimina taceam. Sic amiciſſimum REICHARDUM uideo in nouiſſima *ſpec. Plant.* editione *T. I. p. 666.* *Scandicem* IACQ. cum *Caucalide* I. unam habere, non uiſa forſan ſtirpe aut figura *Iacquiniana.* WILLICHII, botanici eximii, cuius obitum praematurum multum lugeo, planta eſt noſtra; patet hoc ex eius deſcriptione egregia, quae omnino in noſtram cadit. LINNAEI uiri ſummi *Scandix. l. c.* ipſiſſima eſt IACQUINIANA, quicquid etiam contendant alii, modo excipias characterem in ſua, caeteris paribus, nonnihil ambiguum, puta folia Cerefolii, quae nusquam deprehendi in dicta, dein et FORSKOHLEI *Scandix* etiam noſtra eſt. — Dices: coeli, terrae, tempeſtatis, aëris, et aquae diuerſitatem inter Aegyptum et Auſtriam alium ſtirpium iubere prouentum, id circo eandem patriam plantae noſtrae haud tribuendam. Facillime uero Aegyptum ſimulque Auſtriam ut patriam ueram SCANDICI *infeſtae* IACQ. largirentur, ſi, inquam, legiſſent in ipſa Auſtria mecum plantas legitime Aegyptiacas, puta ſcilicet ANASTATICAM *ſyriacam* - LEPIDIUM *perfoliatum* - HELIOTROPIUM *europaeum* - AMMI *maius*, - et alias perinde plures.

XLVIII.

XLVIII.

Trifolium bitumen redolens C. BAUH. *pin. p.* 357. ſiue *Trifolium bituminoſum* DODON. *pempt.* 566. quot quot etiam a multis retro annis in hortis botanophilorum obuium ueniebat, nunquam mihi monſtrabat petiolos laeues, ſingularem iſtam notam, qua illud *Celeb.* LINNAEUS a PSORALEA *palaeſtina* IACQ. *Hort. Vindob. T. II. Tab.* 184. diſtinguere annititur: acceptam a Viro *Cl.* IACQUIN *Pſoraleam l. c.* depictam ſtatim cum meis contuli ſpeciminibus; in eaque omnes ut in *Trifolio bituminoſo* DOD. petiolos deprehendebam pubeſcentes. Hinc concludo, me aut nunquam uidiſſe uerum *Trifol. bituminoſ.* DODON. aut PSORALEAM *palaeſtinam* cultura tantum degenerare in dictam ſpeciem. Et uarietates quoque floribus incarnatis, et dilute purpureis penes me habeo, cum aliis floribus uiolaceis grandiuſculis onuſtis.

XLIX.

Quoties et oculo armato *Trifolium africanum fruticans, flore purpuraſcente* COMMEL. *H. A. T. II. p.* 211. *t.* 106. obſeruaui, ut in foliis puncta ea albida a FABRICIO *in enumerat. meth. plantar. horti helmſt. p.* 305. commemorata detegerem; toties puncta quidem manifeſta, neque uero albida, potius ruffa uidi, ſole aut luce transparente purpurea, quae mihi pulcherrimo ſeſe offerebant ſpectaculo.

L.

L.

Iacobaea tenuiſſime laciniata Buphthalmi flore. TOURN. *Inſt. R. H. pag.* 486. *Iacobaea ſicula chryſanthemi facie.* BOCCON. *p.* 66. *Tab.* 36. MORIS. *Hiſt. T. II. p.* 109. *nr.* 15. *ſ.* 7. *t.* 12. *f.* 15. Caulis herbaceus ſeſquipedalis , teres ſubangulatus laeuis. Folia pinnatifida, pinnis latiuſculis, dentatis, alternis laciniatis, bi-et trifidis, aliis ſimplicibus. Flores terminales, pedunculati, pedunculis ſquamoſis, unifloris aliis bi et trifloris. Squamis calycis laxis breuibus. Foliola calycina aequalia, nuda, margine membranacea, apicibus ſphacelatis. Radius reuolutus luteus: huius dari uarietatem humiliorem ex *Schol. Bot. Pariſ.* MORISONUS annotat.

Digitized by Google

Digitized by Google